



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. xl.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

fiarum conuentibus eliminandas esse iudicatum est: quatenus detrusæ ergastulis, tantum facinus continua lamentatione desleant. Vnde verbo domini, & canonica auctoritate in hac sancta synodo præcipimus, vt omnino separentur, & iuramento colligentur, vltèrius sub vno non cohabitare tecto, nec familiari frui colloquio, excepto in Ecclesia, aut in publico, aut rem habere vllam communem, vnde suspicio illecebrosi desiderij, aut scandalum libidinosi facti iustè possit oriri. Si qua etiam inter se diuidèda sint, diuidant, & vterque sua prouideat, & incestuosus sine spe coniugij maneat.

De viduis quæ professam continentiam præuaricatae sunt. Cap. XXXIX.

DE viduis quæ professam continentiam præuaricatae sunt. Sicut bonum est castitatis præmium, ita & maiori obseruantia & præceptione custodiendū est, vt si quæ vidua, quamlibet adhuc in minoribus annis posita, & maturatione ætate à viro relicta, se deuouerint Deo, & veste laicali abiecta, sub testimonio episcopi & Ecclesie religioso habitu apparuerunt: postea verò ad nuptias seculares transferunt, secundum apostolum damnationem habeant: quia fidè castitatis quam Deo vouerunt, irritam facere visi sunt. Tales ergo personæ à Christianorum communione sequestrentur, neque etiam in conuiuio cum Christianis communicent. Nam si adulteræ coniuges reæ sunt, si suis viris obnoxia fuerint, quantò magis viduæ, quæ Dei religiositatem mutauerunt, crimine adulterij notabuntur, si deuotionem quam sponte nec coactæ Deo obtulerunt, libidinosa voluntate corruperint, atque ad secundas nuptias transitum fecerint: Quæ & si violentia irruente ab aliquo oppressæ fuerint, ac postea delectatione libidinis permanènte in coniugio raptori vel violento viro consenserint, damnatione superius dicta teneantur obnoxia. De talibus ait Apostolus: Cùm enim luxuriatæ fuerint, nubere in Christo volunt, habètes damnationem: quia primam fidem irritam fecerunt.

De eadem re. Caput XL.

VT viduæ non sint in deliciis, sed secundum Apostolum, sub potestate episcopi viuant.

*Ex concilio
Carthag.
cap. 104.*

*Ex decre.
Zepherini
pape,
cap. 4.*